



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XII. Numerorum etiam, dimensionumque rationes & leges, nec ipsas sensu perceptibiles, memoria comprehendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. XII.

*Numerorum etiam dimensionumque rationes & leges, nec ipsas sensu perceptibles, memoria comprehendendi.*

1. Item continet memoria numerorum dimensionumque rationes & leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit; quia nec ipsæ coloratæ sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatæ, aut contrectatæ sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cum de his differitur <sup>a</sup> sed illi alii, istæ autem aliæ sunt. Nam illi alter græce, aliter latine sonant: istæ vero res nec græcæ nec latinæ sunt, nec aliud eloquiorum genus.

2. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuissimas, sicut filum aranæ: sed illæ aliæ sunt; non sunt imagines earum, quas mihi nunciavit carnis oculus. Novit eas, quisquis sine ulla cogitatione qualiscunque corporis, intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus, quos numeramus; sed illi alii sunt, quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, & ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me.

## N O T A E.

<sup>a</sup> Sed illi alii, &c.) abstracti nempe ab omni materia, quales sensus non percipit; omnes enim numeros & quantitates, quas sentimus, in aliquo corpore & re materiali sentiuntur. Abstractiones vero mathematicas, numerosque & quantitates, cum suis regulis ac principiis Arithmeticis & Geometricis, intellectus per seipsum fabricat, vel ut S. D. sensit, congenitas accepit.

## C A P.